



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

2. Aliorum opiniones concedentium veram indifferentiam in Deo & constituentium eam in denominatione extrinseca ponuntur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

dine, ac diuersitate partium orbium celestium quæ diuersimode per motum applicatæ diuersos effectus causant. Et lib. 9. metaphys. tex. 17. dicit in æternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu; unde infert non esse timendum, quod cælum quiescat, quia neque ipsum neque motor eius est in potentia ad non movendum, & inde lib. 12. Metaphys. cap. 6. concludit, non satis esse ponere substantiam æternam potentem mouere, sed oportere ut sit actu mouens ex necessitate, ita ut motio eius sit substantia eius. Alia multa reperiuntur in operibus Aristotelis, ex quibus manifeste colligitur, Deum agere necessitate naturæ determinatum, in eandem sententiam descendisse videtur Plato in Thimeo, Socrates, & alij. Ex Christianis in hoc errore fuit Petrus Abailardus dicens, Deum non posse facere nisi ea, quæ facit; quod idem postea docuit Vvichleph in *Trialogo*, cap. 10. & undecimo, in eundemque miserrime incidit Lutherus art. 36. dicens, veram esse Vvichlephi sententiam; & ut refert Bellarminus tom. 3. lib. 3. de gratia, & libero arbitrio. cap. 15. Bucerus lib. de concordia doctrina, cap. de libero arbitrio. Calvinus lib. 1. institutionum, cap. 16. §. 3. docent Deum agere necessario quicquid potest agere, nec aliud facere posse.

Secunda sententia quam recentiores quidam defendunt, docet in Deo non reperiri aliam rationem libertatis respectu eorum, quæ extra se vult, nisi quia iudicat illa non habere necessariam connexionem cum fine; sed esse secundum se indifferentia, iudicat tamen ordinabilia esse ad finem & iudicat esse ordinanda; ita hanc sententiam defendunt expresse Vanez 1. p. q. 19. art. 10. dub. 2. post solutionem argumentorum in 3. documento, & sequenti parapho. Primum est, & parapho iam vero. Idem docet Cabezudo in fine totius questionis 1. de auxiliis, quam inseruit 3. parvi, quest. 62. Didacus Albaraz lib. 3. de auxiliis, disp. 22. num. 36. Ledesma, questione unica de auxiliis art. 10. diff. 1. quam sententiam defendunt ut inferant, non auferri libertatem humanam quacunque Physica prædeterminatione, licet nostram volitionem inferat per antecedentem necessitatē, dummodo retineatur in intellectu iudicium de indifferentia mediorum ad finem.

Probant suam sententiam, quia Deus ita est infinite perfectus, & ita purissimus actus ut nullam potentialitatem admittat; sed si haberet indifferentiam formalem ad volendum facere mundum, & ad volendum non facere illum, esset capax potentialitatis: ergo Deus non habet indifferentiam formalem ad volendum creare mundum, & ad volendum non creare illum. Maior est certa secundum fidem. Minor sic probatur: Quia illud est obnoxium potentialitati, quod est capax habendi aliam perfectionem, quam de facto habet; sed si Deus haberet indifferentiam supradictā esset capax perfectionis volendi non creare mundum, quam non habet nunc, cum habeat oppositam: ergo esset obnoxius potentialitati.

SECTIO II.

Aliorum opiniones concedentium veram indifferentiam in Deo, & constituentem eam in denominatione extrinsecā, ponuntur.

Tertia sententia docet actum liberum Dei formalissime constitui per entitatem diuinam

& per entitatem creatam eo modo, quo Durandus, Hurtado, Arriaga, & alij asserunt relationem creatam prædicamentalem esse vtrumque extremum, entitatem nimirum Patris, & Filij formaliter sine alio superaddito adhuc per rationem; unde P. Alarcon 1. p. disp. 4. cap. 8. tract. 3. de volunt. Dei, num. 3. qui hanc sequitur sententiam ita ait; [meum igitur in hac controversia scholastica iudicium esto, volitionem liberam Dei formaliter esse actum intrinsecum diuinæ volitionis, quo necessario se amat Deus, connotato tamen, & requisito extrinsecō obiecto, & termino creato defectibili physice realiter formaliter, ratione cuius volitio formalis Dei dicitur libera volitio, vel nolito creaturæ, ita ut deficiente termino illo creato, volitio intrinseca Dei, neque dicatur, neque reipsa sit volitio vitalis actualis talis creaturæ.

Eandem sententiam docet P. Herize disput. 16. capite 10. Arrubal, & P. Didacus Ruiz, qui prius hanc sententiam oppugnauerat, in eandem incidit, ut notat P. Alarcon ubi supra numero 5. §. hanc eandem; P. enim Ruiz tom. de voluntate disput. ... sect. 3. num. ... asseruerat actum liberum constitui terminatione ad obiectum, quibus verbis vestigijs Patris Suarez videbatur insistere; explicans autem numero 23. quid sit hæc terminatio, hæc verba profert, [Inquiris, quid sit hæc terminatio, quæ adesse, & abesse potuit volitioni diuinæ? respondeo esse denominationem extrinsecam;] sic ille. Ratione autem horum verborum manifeste colligitur iam in sententiam, & opinionem denominantium extrinsecæ inclinari, quam ipse docuerat, fauere opinioni concedenti solum metaphorice libertatem in Deo.

Hæc sententia sic explicata probatur primo argumento, quod evidens vocant aduersarij, quia omnis nova & realis denominatio supponit novam aliquam realem additionem, vel mutationem; unde sumatur de nouo talis denominatio; quia intelligi non potest, quod eisdem rebus eodem modo se habentibus, & immutatis, aliqua denominatio realis de nouo resulset; sed quod Deus amet de nouo hanc creaturam est denominatio nova, & realis; ergo formaliter resultat per aliquam mutationem, & additionem factam in aliquo extremo; sed non est facta in Deo secundum illud: ego sum Deus, & non mutor, & secundum illud, in quo non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio: ergo resultat per additionem, & mutationem factam in creatura; ergo actus liber Dei formalissime constituitur per entitatem diuinam, & extrinsecam mutationem creaturæ.

Confirmatur: quia hac ratione non intelligitur Deus velle aliquid libere, nisi dando aliquid esse ipsi creaturæ; sed esse in creatura est extrinsecum respectu ipsius Dei: ergo Deus non vult formaliter libere per solum esse intrinsecum diuinum; sed etiam per aliquid extrinsecum ex parte creaturæ.

Secundo probatur à Patre Alarcon sic; quia Verbum diuinum, seu substantia eius quia personalitas infinita est absque ulla sui mutatione intrinseca dicitur modo terminare personaliter, & constituere suppositum personale, & constituere personam, quod ante non se humanitatis Christi, quod antea non constituebat ratione vnionis hypostaticæ existentis intrinsece in sola ipsa humanitate, quæ unio profus est extra essentiam

& personalitatem Verbi, & tamen illa definiente, non terminat, & astante terminat, quæ terminatio ex parte Verbi concipitur à nobis vt relatio rationis, quia non est aliquid intrinsecum in Verbo, sed solum suæ personalitatis formalitas connotata extrinseca vnione humanitatis ad ipsum Verbum; alias si in Verbo esset aliquid intrinsecum, vel ipsi Verbo, mutaretur; quia aliter se haberet nunc, ac antea Verbum: ergo sicut terminatio actualis Verbi respectu humanitatis constituitur formalissime, non solum per entitatem Verbi, sed etiam per vnionem extrinsecam ipsi, & intrinsecam in humanitate, similiter actus infinitus diuinæ voluntatis constitueretur in esse actus liberi per entitatem diuinam & extrinsecam entitatem creaturæ contingentis, & de novo factæ.

Tertiò, sic probatur; quia eadem scientia diuina indiuisibiliter, formaliter, intrinsece inuariata dicitur scientia simplicis intelligentiæ, & visionis; & eadem dicitur præscientia & cognitio existentium, & prætorum, non per aliquam sui variationem, sed solum per extrinsecam mutationem obiecti, quod in statu possibili terminans scientiam Dei, facit illam simplicem, & idem obiectum translatum ad statum existentie, in aliqua differentia temporis facit eandem scientiam visionis, qui status existentie vt futuræ, & modo non existentis, facit eandem scientiam esse præscientiam, quæ definit esse præscientia respectu eiusdem obiecti actu in præsentis existentis, quo transacto dicitur scientia prætorum. In quibus omnibus casibus simplex cognitio scientiæ visionis præscientiæ, &c. Sunt denominationes defectibiles, quæ sumuntur formaliter ex eadem cognitione intrinseca Dei, & ex connotatis diuersis extrinsecis; ergo similiter eadem indiuisibilis volitio intrinseca Dei, qua Deus infinite se amat, quia est volitio infinita non minus ac scientia indiuisibiliter eadem est volitio totius volibilis, & nolitio totius nolibilis; ita tamen, vt dicatur, & sit volitio huius volibilis; requiritur necessario hoc obiectum amabile, sine quo non esset illius volitio unde creatura contingens requiritur, vt connotatum extrinsece ad complectendam, & constituendam formaliter diuinam volitionem in esse liberæ formaliter.

Quartò exempla creata adhiberi possunt, quæ licet creata sint, tamen Philosophicam viam parant ad intelligenda diuina; neque operæ præmium putabo minimum si decretum diuinum difficilior non explicuero, quam à Philosophis explicatur res naturales; eadem indiuisibilis realisentitas, quæ ante positionem termini extrinseci non erat relata, per positionem illius de novo fit relata. Item in probabili opinione sancti Thomæ Pater creatus per primam productionem vnus filij habet in se relationem paternitatis, quæ productio secundo filio, inuariata existens, facit patrem illius secundi, sicut primi; quia vt dicatur Pater secundi, nihil requiritur intrinsece, sed tantum extrinseca positio secundi, & multi alij docent relationes indentificari cum fundamentis intrinsecis, quæ non denominantur ab illis, nisi existente termino extrinseco, cuius positione sola dicitur, & est aliud extremum relatum ad illud.

Præterea multi docent species Angelorum esse vniuersales, v. g. vnā eandem repræsentare omnes homines existentes, & futuros; secus possibiles; quod si denuo aliquis futurus esset, eadem species inuariata intrinsece exiens illum repræsentaret sola positione ipsius futuri- tionis: efficacius vrgo; eadem actio indiuisibiliter manens dicitur in primo instanti productio, & in sequenti tempore perseverans, dicitur conservatio, quæ denominationes nihil addunt intrinsece entitati actionum, nisi extrinsecam assistentiam alicuius extremi, ratione cuius realiter eadem actio, quæ non erat conservatio sic esse dicitur, cum tamen illi realiter nihil intrinsece accrescat, nisi relatio rationis per intellectum à nobis concepta.

Hæc exempla, & his similia sexcenta manifeste ostendunt, esse aliquas formas, quæ præbent aliquem effectum formalem subiecto, cui sunt, dependentes tamen ab aliquo extrinseco, à quo etiam talis effectus formalis sumitur extrinsece, non quod talis forma realiter referatur ad tale obiectum extrinsecum, sed quia forma illa talis virtutis est, vt non denominet sic, vel aliter, nisi sic, vel aliter existente obiecto extrinseco, in ordine ad quod denominat, quod propterea dicitur connotari; sicut substantia diuina est forma faciens formaliter personam, non quamlibet naturam, sed rationalem tantum; Ita diuina volitio intrinseca Dei, qua Deus infinite se vult, quia est volitio infinita indiuisibiliter eadem volitio posito extrinseco termino contingentis, dicitur actus liber Dei, quo ablato, iam non manet actus liber, ac proinde talis volitio non aliter erit in Deo, quam fuerit extra Deum ipsa creatura volibilis, si hæc fuerit volibilis contingens, & volitio illius erit contingens; si illa necessaria fuerit, etiam eius volitio erit necessaria & non libera.

Nec propterea timendum est, ne aliquis asserat, actiones, vniones, & alios modos non esse aliquid realiter distinctum ab agentibus, vel extremis; sed agere nihil aliud esse, quam agens, & connotatus terminus, hoc enim non est timendum, quia dicitur absque fundamento, nos enim ponimus formam intrinsecam, scilicet volitionem Dei qua Deus se vult, & est formalis volitio; sed quia infinita debet esse totius volibilis; quare hoc posito, dicitur huius, & sic de reliquis exemplis; at vero ignis secundum se formaliter non est actio respectu sui, nec respectu alterius; unde quando dicitur formaliter agere, debet dari forma actionis; hæc non est ipse ignis produciens, nec productus; ergo debet esse media inter vtrumque denuo adueniens, non solum quoad esse, sed quoad denominare. Similiter anima rationalis secundum se non est vnio formalis; sicut nec materia; ergo quando vtraque dicitur vnita realiter per informationem, vnio formalis debet esse aliquid distinctum ab ipsa anima, connotante materiam, & e contra: ergo modus vnionis formalis realiter ab vtraque distinctus, est adueniens, & sic de reliquis.

Tandem sic probatur, quia libertas diuina constituitur in actu secundo per id, quod formaliter contingens est, ac per consequens per id, quod potest esse, & non esse; sed solum mutatio creaturæ extrinseca Deo potest esse, & non esse, quia quidquid in Deo intrinsece est, quia omnino à se est, omnino necessarium est, & ideo nullo modo potest esse & non esse: ergo volitio libera

libera in quantum libera formalissime constituitur per extrinsecam mutationem Dei, & nullo modo per aliquid intrinsecum illius.

- 15 Maior sic probatur, quia denominatio volendi libere potest esse, & potest non esse in Deo; sed posse esse, & posse non esse est contingens formaliter: ergo denominatio, seu ratio liberi constituitur per aliquid contingens. Maior sic demonstratur; quia qui nunc est in gratia amatur à Deo, iustus enim, & gratus Deo dilectus est, & postea quando peccat, non diligitur à Deo, quatenus peccator est & habet peccatum; alias Deus diligeret peccatum: ergo denominatio, & ratio volendi potest abesse, & adesse à Deo ac proinde contingens est.

SECTIO III.

Quarta sententia ponitur, & precipue mens Patris Vasquez elucidatur.

- 16 Thomistæ unanimi consensu asserunt, actum liberum Dei constitui formaliter per relationem, & habitudinem rationis, nec quidquam aliud addere ad volitionem necessariam per quam se Deus diligit; hoc excogitarunt, ut facile occurrerent toti difficultati; quoniam additio entis rationis non indicat realem potentiam passivam nec mutabilitatem, nec compositionem, nec carentiam realis perfectionis; ita Capreolus in primo disp. 45. q. 1. art. 2. Ferrara lib. contra Zent. cap. 75. & 76. Hispanensis in ea diffinit. & art. notabili 2. Zamel art. 2. in 3. P. Molina. 1. p. q. 19. art. 3. disp. 2. post refutationem Caietani, & passim. q. 14. & ab ipso appellatur communis in nostra Hispania; [quod mirabile est ut inquit P. Herize; ea sunt horum Thomistarum auctoritas dum in ea plus opere dabatur armis, quam literis, cum tamen tam sit aliena ab omni veritate, ac solido fundamento; in quam sententiam sine dubio vellet, nolit Alarcon inclinatur P. Vasq. 1. p. disp. 80. cap. 2. qui his verbis propriæ opinioni lucem offendere nititur. [Est igitur voluntas libera Dei, essentia diuina significata per modum actus vitalis, & effectus eliciti, cum re vera sit ipsamet substantia Dei; includit tamen habitudinem etiam quandam rationis ad res futuras, quæ libere Deo convenit; sicut etiam reslibere future sunt. Cum enim hæc relatio confurgat ex fundamentis non necessariis, nempe ex rebus ipsis, & obiectis futuris; ipsa etiam habitudo libere Deo convenit, non intrinsece, sed extrinsece solû denominatione, quæ Deo convenire, & non covenire non est absurdum: ergo cum velle liberum Dei non solam includat essentiam, sed cum tali respectu, etiam si libera voluntas Deo possit adesse, & abesse; nihil sequitur absurdi, quod divinæ simplicitati, & immutabilitati repugnet.

- 17 Eodem modo de præscientia philosophati sumus disp. 68. cap. 3. & 6. videlicet eam esse ipsam substantiam Dei, quæ alias cognitio est creaturarum possibilem, addito respectu solum rationis ad res futuras, quarum dicitur præscientia, ita ut si res future non essent, Deo quidem deesset præscientia, sed non scientia; sic igitur si res future non essent, non esset in Deo libera voluntas, quæ significatur cum illo respectu libero; esset tamen voluntas complacentiæ, ipsa nimis-

rum essentia diuina cum respectu rationis necessario ad res possibilem: sicut ibidem de scientia rerum possibilem diximus.]

Et in fine illius capituli sic ait: quo autem pacto Deus seipsum determinet ad hoc potius, quàm ad illud ineffabile sane est: nisi quod nostro modo intelligendi intelligamus essentiam Dei, quæ est eius voluntas habere circa futura peculiarem rationem voluntatis cum respectu illo rationis; habemus ergo ex omnibus, quæ dicta sunt, voluntatem liberam Dei, quæ se vult communicare extra, prout libera est, non esse aliquam in Deo perfectionem; nam ut talis includit respectum rationis ad creaturas futuras, neque vero S. Thomas usquam docuit, esse aliquam Dei perfectionem velle se aliis communicare, ut recte admonet Ferrara cap. illo 75. solum enim dixit, bono quatenus perfectum est, id convenire, hoc est actum proprium boni, & perfecti esse aliis suam bonitatem impertire, & ita quamlibet rem non tantum sibi desiderare suam perfectionem, sed aliis etiam se communicare; quo circa Caietanus non probat ex doctrina S. Thomæ id quod contendebat.

Ex quibus verbis Patris Gabrielis Vazq. manifeste colligitur, secutum fuisse hunc Auctorem opinionem Thomistarum, primo quia pro sua sententia citat Ferrarensem eodem capite 2. n. 7. ibi, hanc sententiam tradit Ferrarientis cap. illo 75. nec vero contrarium docuit Gregorius in primo disp. 47. quæst. unica, post septimum conclusionem, ubi P. Gabriel Vazq. totum suam opinionem late explicatam tribuit Ferraræ, & Gregorio; sed indubitatum est apud omnes Doctores Ferraram, cum cæteris Thomistis asseruisse, actum liberum Dei constitui per habitudinem, seu relationem rationis, & ideo P. Franciscum Suarez in metaph. disp. 30. Sect. 9. n. 30. §. omnia primum tanquam choriphæum citat Ferraram, his verbis: [tractanda est altera sententia de respectu rationis, quam fere alii sequuntur ut Ferrara primo contra gent. Sylvester, &c. eodem modo asserit pro hac sententia P. Herize. tract. 2. disp. 16. cap. 3. ibi: non dubitauerint affirmare libertatem Dei, ut comparatur ad creaturas solum asserere respectum rationis, eam docuere Ferrara lib. 1. contra. Gent. Capreolus in 1. &c. quem etiam refert pro hac sententia P. Didacus Ruiz. tom. de volunt. disp. 11. sect. 1. n. 1. ibi; frequentior Thomistarum sententia fuit hæc; [volitio libera Dei supra volitionem necessariam addit tantummodo relationem rationis ad aliquod obiectum creatum, & quantum ad hanc relationem potuit non esse volitio libera, quamvis tota realis entitas rationis liberæ sit necessaria, ita ut non potuerit non esse hanc sententiam expresse docuit Capreolus in 1. disp. 45. quem sequitur ibidem Dela. q. 1. Sylvester in consil. 1. p. Ferrar. lib. 1. contragent. Idem facit Granados 1. p. disp. 5. sect. 3. n. 15. etiam Arrubal 1. p. disp. 54. cap. 3. P. Valencia eadem. 1. p. disp. 1. q. 19. puncto. 4. Bellatrin tom. 3. lib. 3. de Gratia, Salas. 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 8. §. 7. 5: quotquot de hac materia scripserunt. Idem etiam docent hi auctores de Gregorio: ergo sine dubio P. Vasquez hanc opinionem Thomistarum sequutus est.

Deinde; quia nullus ex Thomistis, nequeam clarius verbis, neque tanta repetitione, neque in tot locis ut P. Vasquez docet, actum liberum addere relationem rationis: ergo si P. Vasq. licet tam clare loquatur, & asserat decretum Dei liberum constitui formaliter explicatur, & asseritur